



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XII. Beatam dicunt dæmones; quia illorum est Triumphatrix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

diabolus ut homo habens potestatem peccandi quamdiu vixerit, diu viveret, ut post mortem magis doleret: & ideo gratia mea dirumpit laqueum quem videt, id est abbreviat vitam carnis miseræ, contra voluntatem diaboli, nè fiat dolor et iudicio iustitiæ ita horribilis, ut desiderat inimicus.

12. Beatam dicunt doemones; quia illorum est Triumphatrix.

Ipse qui olim ex Epidauri Achajæ Æsculapij nomine Romam pervenit draco, ad Ragusium urbem ex oriente veniens, in monte confedit, non plus duodecim millibus passuum ab urbe anno 789. strages ingens secuta hominum: nam bestia ijs neque integris, sed particulâ eorum certâ pascebatur, ideoque plures requirebat in unum demensum nec alium dignabatur cibum, Ragulium fere exhaustum hominibus, à monstro tota Dalmatia afflicta; statuerunt tandem terras deserere, & ecce ex oriente anno 502. Eremita quidam veniens, is in Breto cellulam lignis & vimine confecit, sex ab urbe passuum millibus, mirati accole audaciam, monent periculi, ille econtra jubet renuntiari Ragusianis se eum esse, qui velit monstrum, possitque interficere: in re difficili majestas viri faciebat auctoritatem: rogatur quis sit, ait se esse Hilariem ab ultimo oriente à Christo in auxilium urbi afflicte missum, si modò fecerint quæ ipse suaserit. Pollicentur. Tum senex è fureulo parat crucem, hanc cum populo adorat, misericordiam Dei orat, Dominicam Orationem, & Angelicam Salutationem recitat: deinde cruce sumptâ & baculo cum nautis quatuor ad ipsum cubile bestie properat, bestie imperat nomine Christi, sine noxa egrederetur, sequitur draco, cum angulo religit, ad navim ducit, quâ ipse conscensâ draconem per aquas trahit, & in cellam suam deducit, & igne lubjecto concremat. Tum concionem alloquitur senex: hunc draconem esse unam ex spiritibus à quo sciatis ope Deiparæ se liberatos, fidem etiam docuit cives à cuius puritate deflexerant. Cives grati ædem Divæ Virgini exstruunt, imaginem in ea ejusdem locant, quæ deinde miraculis coruscat, appellaturque in Breto. Ita Atlas Marianus lib. 2. fol. 120. Merito Ecclesia Græca in Men. 5. Martij Virginem salutat: Extirpatrix diabolorum, salve o Gladiæ utrinque acute! hostis nostri caput abscondens. Idcirco quod Gen. 3. ipsa conteret caput tuum scriptum est. Mirabiliter virtutem etiam in reliquis feminas in symbolum istius propagatam docet Rupertus 3. de Trinit. cap. 20. Sinuda mulieris plantam dentem serpentis prævenit, & vivacissimum caput ejus, vel leviter præfensit, statim

statim totum corpus cum capite interit repente, ita ut nullus omnino motus, nullus sensus in aliqua parte residuus sit.

In revelationibus S. Briggite postquam Angelus explicuisset Angelorum promptitudinem ad obsequia B. Virginis adiecit. Super omnes etiam malignos spiritus, ipsam sic potentem Deus effecit, quod quotiescunque ipsi aliquem hominem Virginis auxilium ex charitate implorantem oppugnaverint, ad ipsius Virginis nutum illico pavidi diffugiunt, volentes potius poenas suas, & misérias sibi multiplicari, quam ejusdem Virginis potentiam taliter super se dominari. Refert ex Vincent. Bellovac. lib. 7. c. 104. in piis Hilarius Angelinus Gazæus de quodam pictore in Belgio qui demones solitus erat teterrimè depingere: invitatus erat ut supra cujusdam templi portam in muro pingeret B. Virginem calcantem draconem infernalem: pinxit omni quâ potuit arte, exquisitissimâ formâ Virginem cum Sanctissimo Infante: venerat jam ad pingendum draconem, & jam prima lineamenta duxerat: noctu per somnum demon illi comparuit, monendo ut abstineret circa se in pingendo veteri suo odio, malè id cessurum. Contempsit pictor minas, ad laborem rediit, ac ubi theatrum conscendit, mox ingens turbo exoritur, qui eum cum theatro rapit, ut in sublime raptum humi affigat: Pictor pauculis opem Virginis in hoc periculo subito, ac veloci implorat: porrexit ex imagine manum Virgo, ac tam diu tenuit sublimem, donec populus accurrens scalas subjecisset, per quas incolumis pictor descendit. S. Bonavent. ex Bern. tom. 6. in spec. B. Virginis lect. 3. Non sic timent hoïtes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum. Fluunt sicut cera à facie ignis ubicunque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, sollicitam imitationem. Ludolfus de Saxon. in vita Christi parte 10. c. 5. ex Bern. Ubi nomen Mariæ nominatur, ibi demonium effugitur. Alanus de Rupe lib. de Psal. p. 2. c. 7. ait sibi revelatum. Hæc nomina JESUS, & MARIA duæ sunt fornaces charitatis, quibus torquentur & distorquentur demones. Sed adhuc vivente Virgine non dissimilis roboris nomen ejus fuit. Pelbartus. lib. 7. Stellarij p. 3. a. 3. postquam probasset B. Virginem accepisse Spiritum S. & donum linguarum, docet ex S. Germ. quod ipsa adeò claruit in vita miraculis, ut innumeros ægros, & debiles curaverit, & demones ab obsessis effugerit, qui audito ejus nomine solo, mox exiverunt, & ad ejus intutum horridè clamabant, quod ipsi ferre vul-tum Matris Dei non valerent. Idem refert. (ut obiter attingam) tres mortuos à S. Virgine adhuc vivente redditos vitæ. Et alia plura: Maria enim interpretatur Mare amarum, de quo Bonavent. spec. cap. 1. Maria Mare est gratiâ affluendo,
 &c 3 ama-

amarum verò, diabolum submergendo, quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægyptijs in ipso submersis, ò quam amarū & timendum est hoc mare Ægyptijs! ò quam amara, & metuenda est dæmonibus.

Anno 1320. Joanne XXII, Papa die 28. Maij refert *Kircher. lib. 3. Historia* adeò fœda exorta cum fulminibus, & procellis tempestas, ut ædificia Viterbi civitatis passim ruerēt, dæmones etiam specie corvorum, vulturum, ac vesperilionum volitarent, & stridoribus omnes terrerent, & quia tam contonato rerum statu non aliud remediū, quàm Divinum superesse crediderunt indigens, ad Beatam Virginem confugerunt, nec spe frustrati: nam intra lucidum cœli spatium, Maria mūdi Gaudium, Filium exulnis gestans, se miseris ostendit, & monuit, si à furijs infernalibus liberi esse vellent, in sua Urbe SS. Trinitatis adirent templum, ubi in perverusto sacello quodam S. Annæ Matri suæ dedicato imaginem suam inventuri essent, coram qua orarent, certi de miseratione Divina. Quod dum fecissent, ad fontem non procul à civitate disitum Bullicamum dicitur de funestiarum avium exercitus statim avolavit, & cum ingenti ejulatu intra eum se demersit, & sic patuit Mare rubrum, sic Maria dæmonibus. Hæc est Cybora Davidis quâ cum coram obfesso à dæmone Saule 1. Reg. 16. canebat, melius habebat Saul & recedebat ab eo spiritus malus. Hinc *Bonavent. spec. c. 27.* sic orat: *Compeſce dæmones nè nobis noceant, præcipe Angelis ut nos custodiant, regis illos in virga ferrea, esto Virga aurea perfectis, Virga ferrea duris, Virga ferrea & dura dæmonibus, & arceas eos à nobis, nè virtutum nostrarum cursum, & obsequium erga te impediant.*

